

The Digital *Viridarium consolationis* Project

Pars 4: De aliis virtutibus Caput 22: De obedientia (17a)

Idem ubi supra (Gregorius in XXXV moralium):

Sciendum summopere quia obedientia, si aliquando de suo aliquid habeat, nulla est, aliquando autem, si de suo aliquid non habeat, minima est. Nam cum huius mundi successus precipitur, cum locus superior imperatur, is qui ad percipienda hec obedit, obedientie sibi virtutem evacuat, si ad hec etiam ex proprio desiderio anhelat. Neque enim se sub obedientiam dirigit, qui ad percipienda huius vite prospera libidini proprie ambitionis servit. Rursum cum mundi despectus precipitur, cum probra adipisci et contumelie iubentur, nisi hec ex semetipso animus appetat, obedientie sibi meritum minuit, quia ad ea que in hac vita despecta sunt, invitus nolensque descendit. Ad detrimentum quippe obedientia ducitur, cum mentem ad suscipienda probra huius seculi nequaquam ex parte aliqua etiam sua vota comitantur. Debet ergo obedientia et in adversis ex suo aliquid habere, et rursus in prosperis ex suo aliquid omnino non habere, quatenus et in adversis tanto sit gloriosior, quanto divino ordini etiam ex desiderio iungitur, et in prosperis tanto sit verior, quanto a presenti ipsa quam divinitus percipit, gloria funditus ex mente separatur.

Sed quia nonnumquam nobis huius mundi prospera, nonnumquam uero iubentur aduersa, sciendum summopere est quod oboedientia aliquando, si de suo aliquid habeat, nulla est; aliquando autem, si de suo aliquid non habeat, minima.
Nam cum huius mundi successus praecipitur, cum locus superior imperatur, is qui ad percipienda haec oboedit, oboedientiae sibi uirtutem euacuat, si ad haec etiam ex proprio desiderio anhelat.
Neque enim se sub obedientia dirigit, qui ad percipienda huius uitae prospera libidini propriae ambitionis seruit.
Rursum cum mundi despectus praecipitur, cum probra adipisci et contumeliae iubentur; nisi haec ex semetipso animus appetat, oboedientiae sibi meritum minuit, qui ad ea quae in hac uita despecta sunt inuitus nolensque descendit.
Ad detrimentum quippe oboedientia ducitur, cum mentem ad suscipienda probra huius saeculi nequaquam ex parte aliqua etiam sua uota comitantur.
Debet ergo oboedientia et in aduersis ex suo aliquid habere, et rursus in prosperis ex suo aliquid omnimodo non habere, quatenus et in aduersis tanto sit gloriosior quanto diuino ordini etiam ex desiderio iungitur, et in prosperis tanto sit uerior quanto a praesenti ipsa quam diuinitus percipit gloria funditus ex mente separatur.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 35.14 (CCSL 143B, M. Adriaen ed., p.1794, ll.196-212).